Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26285
Copyright: Admont, Benediktinerstift

gloriam contempnere. voluntariam paupertatem pro celesti regno docebat
amplecti. ut illud: Beati pauperes spiritu. quoniam ipsorum est regnum celorum. Et quod
monuit verbis. firmavit exemplis. Habentem inquit in medio ca
pulum longitudinis palme manus. In capulo ut notum est. signum crucis
ostenditur. Crux autem Christi non solum illa fuit. qua coram oculis hominum pe
pendit. sed omnibus diebus vite sue crucem quodammodo portavit. quia innumeris
laborum et dolorum miserias. multifarias paupertatis et persecutionis iniurias
perseveranter sustinuit. Quam etiam crucem suis imitatoribus sequendam proposuit
dicens. Si quis vult post me venire. abneget semetipsum. tollat crucem suam cotti
die et sequatur me. SEQUITUR. Et accinctus erat subter sagum in dextro femore.
Quia de femore filii nascuntur. per dextrum femur Christi. sancta eius humanitas
valet intelligi. de quo nobilissimi exorti sunt filii. sancti videlicet apostoli. Accinctus
gladio subter sagum in dextro femore dominus fuit. quia carnalis vite delectamen
ta. que per sagum intelligenda sunt. non solum per se. sed etiam per filios suos. hoc est per
apostolos contempnenda esse docuit. Erat autem eglon crassus nimis. Hostis quippe
humani generis. crassus erat nimis. quia ante Christi passionem tam electos
quam reprobos post mortem violenter in suum traxit et absorbuit ventrem.
Et licet ut superius diximus. plures potentum ad se traxerit ex gentibus. in ipso
tamen iudeorum quasi principaliter regnum sui posuerat solium. quod sequens innu
it ordo verborum. Sedebat autem in estivo cenaculo solus. Quia in estivo
tempore fructus terre. floresque arborum prodeunt. qui latebant in hyeme.
recte per estivum cenaculum. populus designari valet iudeorum. qui tunc temporis
maxima redundabat prosperitatis leticia. divitiis fruebatur et gloria. om
niumque rerum habundantia. In qua bonorum omnium copia. quia deum contemp
nendo. voluptati dediti erant. et carnis desidiis. ipse humani ge
neris inimicus. dulcem quietis sedem sibi in illorum posuerat cordibus.